Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

peracta expeditione in regali seruitio cum patriam regredi temptaret. accidit ei iter agere per loca que franci campaniam uocant. quia scilicet ibi plexa telluris in superficie frondibus minime densata nec saltibus nemorosa. Cumque quadam die ab itinere diuticulum cum suis peteret. sumet gentaculum et equorum famem pastione solita releuaret. deuenit ad quendam fontem qui purus atque perspicuas emanat aquas. Qui locus optate refectioni habilis uisus est. tam scilicet quam animalibus suis. quia inerant etiam ibi herbarum gramina. Cumque ut cibos caperent una consedissent. homuntio quidam cuius hec gerebantur predio aduenit. eumque beatus ut erat plenus karitate ad conuescendum inuitauit.

Dehinc inter prandendum atleta dei gangolfus nouum hospitem alloquitur: quatenus fontem super cuius insederant marginibus taxata precio sibimet uenderet. hec ille audiens cepit eum tacite irridere non considerans puritatem innocentie eius. sed pro stoliditate ista ab eo dicta arbitrabatur cepitque intra se commisci utrumque scilicet cedere. et quantitatem precii posse retinere. et quia transmutari de loco ad locum non poterat. fontem derelinquo possidere. Non enim aduertebat ille cupidus possessor fontis. in famulo dei uirtutem illam refulgere quam dominus apostolis immo per apostolos fidelibus ceteris promisit inquiens. Amen dico uobis quicumque dixerit huic monti tolle et mittere in mare. et non hesitauerit in corde suo sed crediderit. quia quecumque dixerit fiat fiet ei. Quid plura. Centum solidorum quantitatem uenditori fontis beatissimus dari iussit. Peractis interim omnibus que ad reficiendum necessaria erant ascensis equis ceptum iter carpere studuit. Transmissa itaque intercapedine ad sue proprietatis deuenit habitacula. constituta in loco qui uarennas dicitur: ubi etiam ipsius sancti nunc basilica habetur.

Tunc uxori que iam sociatam conubii copulam illicite ipso ignorante fedauerat. cuncta que iam egerat retulit. et precii summam quam pro prius fato fonte dederat eidem indicauit. Tum illa ut erat animo lubrica queque sinistra interpretatione peruertere laborabat. quicquid ab eo degestum fuisset clam eundem uirum suum hebitudine presumptum et sua prodige dispensantem causando [aequum] arguere cepit. nichilque utilitatis percipere posse ex hoc quod tanti emerat. In illis diebus uisendi gratia loca domui sue contigua circuiens baculum quem manu ferebat solo infixit. eoque relicto rediit. Postera die cum surrexisset mane. aqua abluendis manibus et faciei defuit. Tunc sanctus ille plenus fide unum ministrorum iussit ut celeriter pergeret. et denominatum baculum humo defixum abstraheret. et lympham que subsequeretur quantocius ad lauandum deportaret.

Mox famulus precipientis obsecundans imperiis ut lignum a terra sustulit maxima statim aquarum inundantia ab imis telluris uisceribus profluxit. coloremque pristinum quem in loco unde diuina uirtute transmutatus fuerat habuit. quod sepius presentando ostendit. Siquidem naturale est fontibus regionis illius ut subalbidum teneant colorem. secundum qualitatem humi unde uidentur oriri. Sic auara spes cupidi uenditoris fonte priuata est: quem possidendum estimauit. Nam postea numquam in loco quo prius fuit aqua uisa est manere. Tua sunt domine ihesu hec opera qui quondam per heremi uasta de saxi duricia. larga fecisti profluere fluenta unde satiasti sitibunda israhelitice plebis pectora. Qui fons hodieque saluberrime exundans. beati gengolfi suffragio diuina uirtus exinde maxima languentibus prebet sanitatis beneficia. His ita decursis mulier prefati beati uiri conubio iuncta. antiqui hostis uel serpentis suasione qui in paradiso euam fraude seduxit. maligna amore cuiusdam clerici illecta nefaria commixtione se maculare non est uerita. Hic autem non clericus est cognominandus sed apostata perfidus quia a uia iusticie et a sorte dei aberrando deuiauerat. et in sensum dei talia committere pro nichilo duxit. mente obstinata. Et primo hoc clanculo est gestum dehinc per multorum ora uulgatum adhuc de quo loquimur sancti postremo peruenit auditum. At ubi peruenit ad aures sanctitatis eius huiusce iniquitatis elogium. diuersos cepit cogitatus ancipiti uersare animo. Sepius enim cordi inherebat ne eam diutius uiuere sineret. ne crebro in huius uolutabri ceno deuoluta decus nobilitatis eius graui dehonestaret infamie turpitudine. Sin autem dimitti addiceret homicidii reus effectus. preterite uite sue innocentiam alieni sceleris neuo commacularet. ne immemor fuerit scripture que ait. Mihi uindictam et ego retribuam dicit dominus. His itaque